



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Godefridus Ep. 8. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

confessione purgavit & lacrymis expiavit, cæterum ut ne hostem proderet, igni literas damnavit. Fridericum deinde, cum jam parturiret ultimum scelus, hospitio non semel cum suis excepit, neque comitem habere viæ abhorruit, utque malus Genius ex ore alieno palam factus est, moriens Christo Christi verbis pro hostibus suis supplicavit, facultatem ob id nactus mira (quæ innumera sunt) patrandi. Sub idem ferè tempus lunæ geminam alteram lunam cœnobita vidit gladio insignem, ne dubitaret orbis, sideribus novum sidus *Engelbertum* additum.

Ex Surio.

Optimum vindictæ genus est, culpam ignoscere, & humanitatis beneficia non negare; mala pati, & stulticia gratiæ communicare. Hoc supernæ Deitatis opus est quæ quotidie innumerabiliter injuriis lacebitur, & sustinet; blasphematur, & non irascitur. S. Laur. Justin. de Casto connub. c. 18.

S. GODEFRIDUS EP. 8. Nov.

Cœpit GODEFRIDUS in tempore (quinquennis utpotè) ad sanctitatem inter cœnobitas conniti, Musis juxta & pietate succollantibus. Anno ætatis xxvi. Abbas, inde Pont. Ambianensis, mirum est quàm benignum se miseris exhibuerit, tredecim quotidie de his epulo
foli-

702 VITÆ SANCTORUM. 8. Nov.
solitus excipere, ablutis suâ manu eorum
pedibus; nihil utique alienum à summâ
dignitate existimans, facere, quod prior
Pont. Max. Christus fecisset. Et fortè
benè magnum, & qui culinæ unicus su-
perabat, piscem inde ipse asportaverat,
donum leprosis stipem rogantibus. Ei
rei cum absens tunc succenseret postea
œconomus, illud modò respondit G O-
D E F R I D U S: *Etiâ atque etiâ videret,*
illène abundaret, an pauper Christus esu-
raret, rectius? Et verò ut hunc regeret,
non dubitavit suis laciniis summâ hieme
se spoliare, & mendicabulum his dita-
re, ipse contra frigora hâc unâ charita-
te satis armatus. Jam clementiâ in sub-
ditos illud sit argumentum, quòd ad
tyrannum, quem ob scœlera templo pro-
scripserat, per maxima itinera exal-
ceatus contendit, & ad facinorum de-
testationem reum supplex in genua Iu-
dex invitavit: quin tunc etiâ contu-
macem nihilominus captivum postea in
libertatem asseruit. Quòd tamen cives
Ambianenses monita ejus vel negligere-
rent, vel contemnerent etiâ, igneos
urbi exercitus imminere vidit, interit-
tum hujus, ut. D. Firminus G O D E F R I-
D O vaticinatus est, portendentes, qui
non multo post reapse delapsis cœlo flam-
mis est insecutus. Nos, ne cœlo *Dens* ig-
nes, oculis lacrymas rectè pluemus. Ex
Scrio.

Si

Si tam sollicitè corporalis fugitur mors, ut nemo mori velit, quantum fugi debet æterna? Si momentanea rationabiliter sunt evitanda tormenta, quæ finem habent, quo animo fugienda sunt omni sine carentia.
S. Laur. Iustin. c. 17. de Contemptu mundi.

MEMORIA CRUCIFIXI BERYTENS. 9. Novembris.

Nimirum facile *Christo* cum Carpo hodie credemus, velle illum iteratò pro nobis mori, si modò vivere nos velimus. Berytus civitas est Tyro & Sidoni contermina. In hâc sub annum DCCCLXV. habitare inter spinas lilia, hoc est inter Hebræos Christianos, vidisses. Et fortè Christianus ædibus suis Iudæo cessit, alioque migravit, oblitus secum ferre nobilissimam & ab omnibus retro majoribus acceptam hereditatem *Christi* imaginem cruci suffixam, opus ab artifice manu ipsius Nicodemi commendandum. Spectasses in nepotibus suis antiquos Servatoris hostes, & non jam odii simulachrum, sed ipsissimum veteris impietatis bellum. Iterum *Christus* vincula fert, & captivus triumphatur, agitur, raptatur. Iterum sputa volant, alapæ insonant, flagra crepant, spinæ se armant, clavi malleique intonant. Iterum fel, & felle suo acerbior